vibus criminibus cavendum.

parva ſunt, deſides reddunt; & dum contemnuntur, non poteſt ad expulſionem eorum animus generoſe inſurgere. Unde cito ex parvis maxima fiunt negligentia noſtra . . . . Hac via omnia ſcelera fieri videbis. Nemo enim repente ad extremam improbitatem inſiliit. Habet quippe inſitum quemdam animo pudorem, atque innatum, quem ſubito calcare, atque projicere non poteſt; ſed ſenſim, atque paulatim ex negligentia perit; hoc pacto etiam idolorum cultus aditum invenit, cum ultra quam oportet, vivi, ac defuncti nonnulli honorarentur: hoc pacto ſimulacra, & ſtatuę adoratæ ſunt, hoc pacto denique fornicatio, & cætera vitia dominantur .... Nullus igitur frivola ſeſe illa ratione conſoletur, qua univerſa protervitas in animam inducitur: illa inquam ratione nullus utatur dicens, quid hoc eſt, aut illud? Mille certe hinc mala oriuntur. Veterator enim malorum Diabolus cum ſit, magna malitia, multa opera, ingenti ſtudio condeſcenſioneque nonnulla ad perditionem hominum utitur. A minimis enim plerumque incipit ... Repellenda igitur malorum initia ſunt. Nam etiamſi ad majora prima non progrederentur peccata, non eſſet tamen negligendum: nunc vero per iſtam incuriam gradatim ſemper aſcendunt, quapropter omni ſtudio, atque opera funditus principia peccatorum ſunt evertenda. *Ex Homilia Sancti Chryſoſtomi in cap. 27. Sancti Matthæi.*

Minores evitare noxas non religionis tantum conſilium eſt, ſed omnibus eſt neceſſarium.

Cum vobiſcum loquor de minimarum rerum cura, ac vobis probandum aggredior ſaluti noſtræ periculoſiſſimum eſſe leviora contemnere mala, pariterque minimas etiam actiones pietatis contemnendas non eſſe; nullus dubito quominus plures in me ſubiraſcantur, ac me corripere velint, quaſi nimis arctam, atque ſupra eorum conditionem poſitam morum diſciplinam illis præſcribere velim. Hic ſermo, inquient illi, ad Religioſos pertinet, qui perfectionis ſtudio vacare debent, quam voverunt; vel ſaltem ad pios homines illos, qui in mundo vivunt, quin de mundo ſint, & qui omnes penitus voluptates, & ſæcularia negotia abdicarunt, Deo unice vacaturi. At nimis a vulgo fidelium exigit, qui ab illis eam expetit diligentiam, quæ ſtatum illorum videtur excedere. Adnitantur illi nobis peccati horrorem immittere; doceant eſſentialia Religionis officia adimplere; hoc noſtrum eſt, & fortaſſe etiam ſupra nos eſt. Pauliſper, auditores, adhuc, hæreat judicium veſtrum; veſtra pauliſper ſubſideant præjudicia, vobiſque palam probabo nullum eſſe tam leve malum, quod ſumma cura, ſtudioque non ſit evitandum. *P. Girouſt in Quadrag. Sermone de minimarum rerum cura.*

Mala, quæ hæreſes pepererunt, ab exiguis orta ſunt initiis.

Quot mala in Eccleſia Dei peperit hæreſis? Infernalis hic ignis in una Provincia ſuccenſus brevi in finitimas ſeſe effudit; de regno migravit in regnum ac tranſitu ſuo omnia late vaſtavit, immo trans maria etiam perniciſſime pervolans, quam ibi peperit vaſtitatem? Quæ etiam nunc quotidie infert mala quin tot Apoſtolicorum virorum ſollicita cura, atque tot Martyrum ſanguis flammam hanc potuerit extinguere? Immanis hujus conflagrationis inquiramus initia; & ſæpe liquebit hæc incendia ex levi orta eſſe ſcintilla, ex invidia ſecreta, quæ unius hominis pervaſit animum ex æmulationis ſtudio, ex acerbitate, aut odio aliquo, vel ex docendi, famamque ſibi comparandi cupiditate, quas parvulæ occaſiones aluerunt, roborarunt, & ad extrema uſque protulerunt. Heu! fratres, Sanctus Jacobus inquit,

Jacobi 3.

Ecce quantus ignis quam magnam ſylvam incendit! Utiliſſimum profecto Principibus, Eccleſiaſticiſque Superioribus documentum, quo monentur maturato quaſdam opprimere contentiones de doctrina, & de Religione, unde ſeditiones oriuntur æque & Eccleſiæ, & Reipublicæ funeſtę. *Idem.*

Mali effectus rerum minimarum in moribus.

Minimorum malorum funeſti exitus in moribus adhuc graviores ſunt, atque vulgatiores. Vides duas familias ſeſe invicem ubique laniantes, & quotidie ultro citroque ſibi novum faceſſentes negotium, ſeſe mutuis litibus, quæ nullum finem ſunt habiturę, provocantes. Quomodonam huc evaſerunt? Propter nihilum, ſi ita loqui fas eſt; ob leviſſimas cauſas, & ſimultates, quę nimis diu nutritæ fuerunt; ob aculeata quædam verba, quę paulo frequentius exciderunt, ob ſuperbum, ac indignantem oris habitum, ob aliquem iræ impetum, ingeniique libidinem. Hac origo fuit divortiorum, quæ graviſſima ſcandala pepererunt, odiorum, quæ numquam potuerunt extingui, calumniarum atrociſſimarum, atque graviſſimarum ultionum. *Ecce quantus ignis quam magnam ſylvam incendit!* Vides mulierem illam turpiſſimæ libidini addictam, cujus fama deplorata eſt, quæ ſexcentis uritur moleſtiis, angoribus, quæ vicies pœnitentiam aggreſſa, eam reliquit, & nulla umquam ratione a flagitioſo vivendi genere potuit avelli? Verum quomodonam putas illam in abyſſum hanc proruiſſe? Pręterita gradatim repetamus tempora, ac ad illud tandem perveniemus, quo modeſta erat, honeſta, pudibunda; ſed imprudens oculorum conjectus, ſed obſcœnus liber, ſed inepta curioſitas eam perdidit. At ne putes illam ſtatim omnem penitus verecundiam abjeciſſe, Sanctus Bernardus ait, ac ſtatim ſeſe graviſſimis ſceleribus abdidiſſe. Nemo fere illico vel omnino peccator fit, vel ſanctus omnino. *Nemo repente fit ſummus.* Hæc veteratoris hoſtis noſtri ars eſt, animæ adhuc innocentis rationem habere, ac efficere ut ſenſim progrediatur in vitia, ne illam exaſperet, ſinatque, ut ſeſe colligere valeat. Primum quidem indumentorum modeſtia laxatur; blandis vocibus præbentur aures, eiſque gratæ vices rependuntur. Ad aliquam licentiam mox fit deſcenſus, cujus nihilominus pudet, & quæ animum torquet. Mox vero audetur, & quid inde tentatur? Dicam melius, quid inauſum, intentatumque relinquitur? *A minimis incipiunt, & in maxima proruunt. Idem.*

Bernard. de ord. vit. & mort.

Occaſiones magnæ aliquid faciendi obviæ non ſunt; obviæ tamen ſunt parvæ actiones bonas faciendi occaſiones.

Magnæ occaſiones, quæ magnis actionibus aperiunt viam, pleriſque numquam ferme occurrunt; certe ſæpe non accidunt. Velle igitur tunc bene agere; ubi adeo infrequentes ſeſe occaſiones obtulerint; hoc nonne eſſet penitus virtutum ſtudia deſerere, eaſque numquam velle exercere? Num, qui hoc fecerit, ſalutem ſuam operatur, cœlumque adipiſcitur, nihil efficiens, quo illud promereatur? E contra vero parvæ occaſiones exercendæ manſuetudinis, humilitatis, patientiæ in ſingulos ferme gradus occurrunt obviæ, & in ſingula fere momenta ſeſe nobis offerunt. Ideoque hoc eſt ex vita ſua jugem pietatis exercitationem efficere; hoc eſt virtutum habitus actibus earum millies repetitis acquirere; hoc eſt opus opibus aggerere, & qualibet die pretioſum meritorum noſtrorum theſaurum augere. Licet igitur parvo haberentur in pretio parvæ virtutis actiones propter ſuam qualitatem, videlicet, quia parvæ ſunt, numquam tamen ſatis æſtimari poſſent propter quantitatem, videlicet quia frequentes ſunt, cumque ultra numerum ad mortem uſque repetitæ ſint, nos in tumulum inferunt divinis benedictionibus affluentes. *Idem P. Girouſt.*

Fallitur, qui putat minima eſſe negligenda, ut majoribus opera navetur.

Apage fallacia præcepta, quæ fortes quidam ſpiritus ferunt, & quibus ipſi mordicus hærent: ſtudium omne reſervandum eſſe pro magnis occaſionibus; illuſtre factum ſexcentis aliis præſtare; reliqua vero nugas eſſe, ac moras inutiles. Falluntur illi; iterum dico, graviſſimo errore decepti falluntur. Victoriæ a Samſone de Philiſtiim relatæ non ad lacertorum ipſius robur, neque ad rei militaris ſcientiam, neque ad eorum virtutem, quorum opera utebatur in præliis, ſed ad capitis ejuſdem capillos, quos propter explicitum Dei mandatum, vel ſecundum Nazaræorum conſuetudinem, nulla novacula, vel forfices nullę ſecuerant, ſunt referendæ. Victoria, quæ tibi de ſalutis tuæ inimicis referenda eſt, vulgo minime pendet neque ab elatis mentis tuæ luminibus, neque ab indiciis invictæ conſtantiæ a te præbendis, ubi ſeſe offerent occaſiones, quæ fere numquam occurrunt. Hæc ſalus tua capillis tuis eſt alligata, videlicet minoribus vitæ tuæ exercitationibus, dummodo ſecundum Evangelii regulas, & cum Chriſtiano ſpiritu fiant. *Idem.*

Cum minimarum rerum cura negligitur, cura ſuæ perfectionis negligitur.

Statim ac flocci eas facis leves infirmitates, quas in naturę tuę infirmitatem, & cordis tui fragilitatem rejicis, jam tibi ſtatum ſimplicis probitatis, hoc eſt negligentiæ concinnas: jam levibus lapſibus non turbaris, neque pervenies unquam ad eum ſtatum, quo Dei ſpiritus te clamare non ceſſat, hoc eſt perfectionem. At perfectus eſſe juberis; adniti enim, ut perfectus fias, & perfectionem acquiras, officium eſt, a quo Fideles exſolvi non poſſunt; igitur ex quo ad ea teneri te tantum putas, quæ palam in præcepto explicita ſunt, ad hanc perfectionem adipiſcendam non conaris; & hæc diſpoſitio nequaquam conformis eſt voluntati Dei præcipientis, ut omnes perfecti ſimus, ſinguli tamen ſecundum ſtatum ſuum. *Ex ſermone de levium criminum fuga, qui P. Maſſillon eſſe perhibetur.*

Qui levia negligunt errata commentitiæ charitati confidunt.

Charitatis proprium eſt malum, quod facit, amplificare, bonum vero, quod item facit, imminuere; & enormia ſcelera putare eas noxas, quæ infirmitatis humanæ effectus ſunt. Hinc juſti ſemper ſe veluti peccatores putant, atque omnibus fratribus ſuis

ſuis deteriores. Attamen commentitiæ huic charitati confidis; hæc tua imminuit in oculis tuis flagitia, & bona, quæ operaris, amplificat; hinc putas leves haſce infidelitates labem non offundere integritati tuæ, & gratiis, quibus cumulatus es; hinc levia errata contemnis. At neſcis verum charitatis caracterem eſſe perpetuam humilitatem, de te, deque optime factis ſuis diffidentiam, ſanctamque ambiguitatem, propter quam anima juſta dubitat, utrum in gratia ſit, & ſingulis momentis de ſua ſalute ſollicita contremiſcit? *Idem.*

Deus nobiſcum agit, ut nos ipſi cum illo.

Ingredere in judicium cum Deo tuo, & vide, utrum ejus agendi ratio injuſta ſit; quo magis illi placere ſtudes, eo magis te proteget; negligis omnes fervoris occaſiones, quibus tuam illi fidem teſtatam facere potes; ipſe quoque viciſſim priſtinas amoris, ac benevolentiæ notas denegat tibi. Rationem cum illo inis, quid illi debeas; ac in eo cura omnis verſatur tua, ut variis, quæ de te Deus habet, conſiliis, limites ſtatuas; dicis illi, uti olim inutilis ille ſervus; tolle, quod tuum eſt; nonne convenit tibi mecum de opera a me tibi præſtanda? Deus vero tibi amplam illam negat mercedem, quam tuę fidelitati ſpoponderat. Num ægre ferendum tibi eſt, quod Princeps, & Dominus, in cujus manibus ſortes tuæ ſunt, tecum agat quomodo tu cum illo, cujus ſervus es, & creatura? *Idem.*

Leves infidelitates ad majora ſcelera ſternunt viam.

Non ſolum leves hę infidelitates ſemper deſinunt in ſcelus; ſed ſcelus etiam viam ſibi ſternit in cor, quod illas ſibi licere vult; ac fere nullum obicem invenit; etenim in his iteratis infidelitatibus, eo uſque proceditur, ut omnis difficultas ſuperetur, quin ne percipiatur quidem, quomodo ſuperata fuerit; neque dæmon novo indigeat niſu, ut in inſidias ſuas cor illud detrahat, quod per ſe adeo diſpoſitum eſt. Hæc levia crimina in illud adeo proximas diſpoſitiones ſceleris jaciunt, ut ad minimam ſollicitationis auram pariat crimen, quin ne ipſum quidem, quem deglutit, fructum mortis agnoſcat; quod efficit, ut ſtatus iſte in quo quis eſt, eo fiat terribilior, quod gratię moritur, quin ne ſciat quidem; uſum habet ſanctarum rerum, at amittit opem, quam inde recipere poteſt, vult pœnitentię luſtralibus aquis emundari, ſed in recentes magis magiſque infidelitates immergitur &c. *Idem.*

Leves infidelitates ſunt cauſa majorum.

Repete malorum tuorum originem, eamque in levibus infidelitatibus, quas tu tibi licere vis, invenies. Oratio nimis neglecta origo fuit ferme imperceptibilis plurimorum aliorum ſcelerum. Primum quidem non aliud erat quam nubecula, quam vidit Elias; ſed nubes brevi ita percrebuit, ut illum, neque ſentientem, poſſet auferre. Lapillus erat ille, quem ſuper ingens illud Nabuchodonoſor ſimulacrum caſurum eſſe prædixerat Daniel; ſed tantus factus eſt, ut ſtatuam illam contereret, ac univerſum terrarum orbem magnitudine ſua exæquare videretur. Primum quidem non aliud fuit quam granum ſinapis humi ſatum, ſed mox ita crevit, ut avibus cœli præbere poſſet perfugium. Primum non aliud erat quam parum fermenti, verum ſatis fuit, ut omnem farinæ maſſam corrumperet. Numquam crediſſes levia hæc errata paritura fuiſſe malum illud, quod in corde tuo regnat. Hi ſunt gradus, per quos ſenſim in ima deſcendis. Memento unde excideris, neque leve cenſueris, quod recta ducit in pręceps. *Idem.*

Leves contemnuntur infidelitates, licet ſint periculoſæ.

Ne ſtatus ſui ſentiant infelicitatem, omnes putant culpa vacare quotidianas eas infidelitates, quas ſolum corruptionis pondus pietati inevitabiles efficit; eas ſine ulla religione ſibi licere putant, ſine ullis conſcientię ſtimulis, ſine ullo correctionis conſilio. Hinc illa proficiſcitur negligentia, illa incuria, tepiditas illa in via ſalutis, quę tot mortales damnat alioquin cum virtutis ſenſu, pietatis ſtudio, ac ſanctis cœleſtis patriæ deſideriis natos. Attamen in minimis fidelem eſſe, nihil indulgere ſibi ex iis, quæ ad minimas pertinent infidelitates, hæc potiſſima eſt ad Chriſtianam pietatem diſpoſitio; hæc una juſtos facit, quemadmodum una facit, ut in juſtitia perſeveremus. Nulla vera pietas eſt ſine hac in minimis etiam obeundis officiis diligentia; neque affirmare vereor ſtatum hunc, ubi te ſalvum fore putas quaſcumque leves noxas ſine ulla religione tibi permittens, chimericæ ſalutis ſtatum eſſe, ubi nemo ad veram ſanctitatem pervenire potuit, & cujus, qui vere ſancti ſunt, nullum hactenus præbuerunt exemplum. *Idem.*

Nihil eorum, quæ probat vel reprobat Deus videri poteſt exiguum, & contemnendum eſt.

Cum Deus ille ſit, qui eſt, nihil eorum, quæ in pretio habet, vel quæ contemnit; nihil eorum, quæ amat, vel odit, parvum eſſe poteſt. Verum ſi ejuſdem æſtimatio, & amor, ut ita dicam, rebus pondus, ac magnitudinem tribuunt; majorem adhuc illis præbent ejus contemptus, & odium; etenim non metuere Deo injuriam, ac moleſtiam afferre aliquid majus eſt, quam eidem pro virili placere, ac inſervire. Verum ſciſne, has noxas quas nauci facis, ex eodem contemptu, quo illas negligis, fieri majores? Ne dixeris Dei magnitudinis non eſſe exigua curare; ejuſdem enim eſt, eos perſequi, qui illa, ubi a ſe fuerint imperata, neglexerit. Crederesne, nequaquam licere hujuſmodi negligentiam committere, licet inde totius terrarum orbis converſio eſſet conſecutura; & tantum hac boni numquam æquaturum eſſe id, quod exiguum malum appellat? *P. D'Ozenne libro, cui titulus Moralis Jeſu Chriſti, De levium criminum fuga.*

Incipiendum quidē eſt graviora eradicando vitia; at minora non ſunt contemnenda.

Profecto rectus ordo poſtulat, ut ex graviorum ſcelerum pugna ducatur initium; ſed mox & in leviora acies eſt convertenda; atque ob majus malum evitandum, ad bonum majus adniti opus eſt. Hæc negligentia, qua in tuis uteris officiis quæ minoris facienda cenſes, evertit ſæpe conſilium, quo Deus te ad eminentis perfectionis gradum cupiebat evehere, te enim indignum prębet hac gratia. Conſiderarene vales tamquam minutas res eas, quę adeo magnas prohibent? Si malum eſt privari bono, tot bonorum jactura levene tibi malum eſſe poteſt? At cur vis Deum tibi ſingulis horis inſignes conferre gratias, quibus te cumulare non tenetur, niſi illi obedire velis in iis tantum, quæ propoſita gravi pœna facere cogeris? *Idem.*

Fidelitas melius in minimis, quam in magnis elucet.

Sciſne fidelitatem in minimis rebus magis quam in maximis eniteſcere, ac Deum videri velle in illis remunerandis magnificum, quia largitas ejus ibi fulgidius elucet: *Parva petens maxima redditurus*, Sanctus Chryſologus inquit? Servi fides minus in quibuſdam rebus quę muneris ejuſdem ſunt, quam ex aliis quibuſdam exiguis curis, quibus nequaquam tenetur, deprehenditur; & filius melius ſuam Patri teſtatam facit reverentiam nihil faciens, quod illi vel minimum poſſit diſplicere, quam eidem in maximis rebus morem gerens. Sed alterum ex altero ſequitur. Jeſus Chriſtus ait: *Qui fidelis eſt in minimo, & in majori fidelis erit*, quemadmodum e contra qui in minimo infidelis eſt, erit & in magno infidelis. *Idem.*

Luc. 16.

Error eſt magnus tantum Dei gratias in pretio habere.

Graviſſimus error eſt arbitrari, eas tantum proprie vocari poſſe gratias, quę vulgo electæ, efficaces, aut victrices appellari conſueverunt. Si aliæ tibi videntur contemnendæ, iniquum ſane profers judicium, ac longe diverſum ab eo, quod concipis de primis Principis alicujus favoribus, qui tantum tibi gaudium, ac lætitiam afferunt; licet fortaſſe non aliud ſint, quam gratioſus occurſus, mite verbum, oculorum officioſa nictatio, os ad affabilitatem compoſitus. Dicis animam tibi nequaquam ſatis magnam eſſe, ut heroicum aliquid coneris; ſed fidelis eſto, tibimetipſi invigila, gratias, quas tibi dominus confert, excipe cum reverentia, & majores ille tibi, potioreſque conferet: efficiet, ut eæ tibi ſuboriantur occaſiones, ubi præſtantius virtutem exercere poteris, & quæ vires tuas minime ſuperabunt. *Auctor actionum Chriſtianarum. Sermone de S. Thereſia.*

Eæ res, quæ a nobis contemnuntur graviſſimos pariunt effectus.

Nequaquam ob enormia ſcelera in inferno vidit locum ſibi paratum S. Thereſia; hoc enim accidit ob neſcio quos vanitatis ſenſus, qui in mente illius inſurrexerunt, & a quibus ſatis ſibi non cavebat, ob quamdam vagam cupiditatem placendi, alioſque videndi, & ab aliis ſpectandi; ob quædam oblectamenta, quæ mundus facile permittit adoleſcentulis, quibus non deeſt, unde ſuam alant vanitatem, ob affectatas quaſdam officioſitates, in quibus non aliud quæritur, quam amori proprio ſatisfacere; ob lectiones quaſdam, quę quarumdam affectionum diſerte enarratarum textura alliciunt animum, & in mente vanam, ineptamque nutriunt curioſitatem. Hæc ea ſunt crimina, quæ hodie ad examen ne vocantur quidem, & nihilominus ſanctam hanc Virginem in ęternam demerſiſſent infelicitatem. Minora peccata ad majora viam pandunt. *Idem.*

Noſtræ ſalutis negotium ſæpe ex iis pendet, quæ nullius momenti videntur.

De ſalutis noſtræ negotio idem eſt ac de catena; complures gratiæ tamquam tot annuli ejus œconomiam conſtituunt; ſi primus defecerit annulus, reliqui labuntur, ſi primæ gratię infideles ſumus, ſecundę fideles non erimus. At ratio, qua dignoſci queant gratię, quas alię ſubſequuntur, ab illis, quas nulla conſequitur, quænam eſt? Oculorum noſtrorum acies nimis eſt infirma, neque poteſt hoc myſterium ſcrutari; & ideo aſſidue invigilandum eſt.

Pau-

BIBLIOTECA CENTRAL

Pauper ſeſe oculis noſtris objicit, ut ejus paupertati feramus opem, fortaſſe noſtra ſalus ab hac eleemoſyna pendet. Videmus cadaver efferri, ultimum finem noſtrum cogitemus; fortaſſe æternitas noſtra eſſentialem habet nexum cum hac cogitatione. Accidit manibus noſtris Aſceticus liber, attente legamus illum; fortaſſe converſio noſtra ex hac pendet lectione. Num S. Auguſtinus id eſſet, quod eſt, ſi ſatis duxiſſet S. Pauli Epiſtolas volvere, quin perattente eas meditaretur? Ita maximum illud negotium, quod in hoc mundo habere debemus, ſæpe ab ea re pendet, ad quam ne animum quidem advertimus. *Idem*.

Quidam ſibi minora licere putantes decidunt in graviora.

Hæ quædam ſunt imperfectę animæ, quæ exiguarum rerum jugum excutere ſibi licere volunt. Eas ſollicitat gratia, acriterque redarguit; ſed propter animi ſui affectum, quid illæ non ferunt? Illis dicit gratia, numquid ob ita modicum præſtat a Dei ſervitute recedere, certamque ſubire damnationem? Affectus vero dicit, non nobiſmet dimidiate ſolum ſatisfacere debemus; cum nobis non omnino ſatisfaciamus? In tanta hac perturbatione quid fiet? Jugum repente non excutitur, ſed ſenſim primis obicibus ſuperatis, vitio aſſueſcimus, ac tandem in graviſſima ſcelera præcipites labimur. Quamobrem Sanctus Bernardus ait, nimiam audaciam, & exiguarum rerum negligentiam graviſſimorum malorum omnium, quæ in Chriſtiana Religione acciderunt, originem eſſe. Et profecto inde profecta ſunt omnia ſcandala, quæ in mundo, & Eccleſia extiterunt; inde ingentes illi hæreſeos conatus, inde Eccleſiæ labantis nutatio, Religioſorum ordinum laxatio, omniumque animarum, quæ perierunt, interitus, &c. *P. Bourdalove Sermone hujus Argumenti pro feria ſecunda poſt tertiam Quadrageſimæ Dominicam, in primis Sermonibus*.

Impietas, atque irreligio a minimis incipit.

Illi, quibus nulla religio eſt, in ſimilem ferme interitum ruunt, ac ferme ſimili ratione ad eumdem finem perveniunt: Eorum impietas nequaquam repente exiſtit; nequaquam directe animæ immortalitatem, ac Dei eſſentiam impugnant, ſed incipiunt piam populi crudelitatem in ludibrium vertentes. Hoc parum eſt; utique, ſed hoc pacto pietatem ipſam perſtringunt, ac eas irrident cæremonias, quæ in Eccleſia ſervantur; Sacramentorum praxim, & uſum improbant, vel ſaltem Religionem tamquam politicum aliquod inventum, aptum populis regundis, ac in officio coercendis exiſtimant. Cum fidem ita labefactare conati ſunt, dubitant, utrum ſit Providentia, ac neſciunt etiam, utrum ſit Deus. Undenam tanta hæc malorum congeries, niſi ex ea, quam ſibi vendicant licentia de iis diſſerendi, quæ ad Chriſtianam pertinent Religionem? Undenam tanta Eccleſiaſticæ diſciplinæ remiſſio, niſi ex ea negligentia, qua parvæ res obſervantur? *Idem*.

Nemo repente prævertitur, ſed paulatim levibus criminibus.

Hoc animadvertite quæſo; videntur profecto nonnumquam peccatores repente converti, at numquam videntur præverti mortales, ac ſtatim enormia, infandaque peccata committere; cujus diſcriminis ratio eſt, quia opus eſt, ut innocens ſecum diu pugnet antequam ſeipſum omnino prævertat, ac penitus nequam fiat. *A vanitate ad iniquitatem mens noſtra ducitur*, a dęmone Sanctus Gregorius Magnus inquit; & hoc tunc accidit, cum noſtra licentia a parvis incipit rebus, & mox ad majora fertur. Quid hominis Chriſtiani vitam corrumpere incipit? Modica vanitas; & hæc modica vanitas ſæpe cauſa eſt reprobationis ejuſdem. Tumidior oſtentatio adoleſcentulum hunc, & luxus hanc adoleſcentulam perdit. Vana curioſitas, qua profanos, amatoriiſque tricis refertos deperit libros, aulici animum corrumpit. Vana hæc indulgentia, qua alter alteri viciſſim blandimur, magnorum ſcelerum cauſa eſt. Vultis, o mulieres, pretioſiſſimis ornari indumentis, ut placeatis? hæc vanitas eſt, quæ corde veſtro potitur, ac trahit in ſcelus: *A vanitate ad iniquitatem mens noſtra ducitur*; Impudicos hoſce libellos volutare vultis, & omne eorum virus ebibere; affectui veſtro ſatisfacere vultis; cum iis verſari quæritis, qui nimium liberi ſunt; ſed ſermonibus veſtris ſeſe dæmon immiſcet, ac verſutia ſua in vobis impuritatis ignem accendit. *A vanitate ad iniquitatem &c. Idem*.

Deus, & magnis rebus, & parvis hominum periculum facit.

Quomodonam putas, Sanctus Ambroſius inquit, hominum obedientiam a Deo probari? Magna illis irrogat in rebus minimis præcepta, ut illi magna operentur. Abraham, inquit ille, in rebus maximis Deo paruit, eique non paruit Adam in minimis. At cur ita agit Deus? Cur vult, ſibi ab hominibus obedientiam in parvis æque, ac in magnis præſtari? Nulla præter hanc ratio eſt, niſi quod Rex eſt, & Dominus, & quatenus hoc habens imperium jure nobis imperare poteſt, quæcumque ſibi placuerint, quemadmodum nos illi obtemperare debemus in iis, quęcumque nobis præceperit. *Idem*.

Leviores culpæ metuendæ ſunt, noſque in periculum adducunt.

Si ſcelus tantummodo in ſcelus adduceret, minus late graſſaretur iniquitas, naturalis vitiis turpitudo, terror judiciorum Dei, æterni metus ſupplicii, amor proprius nos tueretur, efficeretque ut mali antidota, vel pharmaca in ipſo malo inveniremus. Sed nequiores viæ, quæ ſine ambagibus impellunt in ſcelus, non ſemper ſunt pernicioſiores; patens præcipitium palam monet, ut ab illo pedem amoveamus. Terribilia mala, quæ in viis iniquitatis occurrunt, eum probant horrorem, quem cient; mala præſentia futurum terribile annuntiant, & miſeria efficit, ut illius periculum ſentiamus; ſed pericula, in quæ leves culpæ nos agunt, eo magis evitari non poſſunt, quo latent magis; catenæ, quas nectunt, eo facilius roborantur, quo minus oneroſę ſunt innocentię, & vulnera, quę infligunt eo magis funeſta ſunt, quia cædem inferunt, quin ſentiantur. Hæc vita in hoc mundo profecto recta videtur, ſed finis ejus ducit ad mortem. Hæc malacia eſt ipſa tempeſtate periculoſior; mare tranquillum, ſed infidum, & in ſinu ſuo plurimorum naufragiorum cauſas complectens. *Ex Sermone, qui Gallicæ Accademiæ judicio pretium tulit*.

Minori fide Deo, quam mundo ſervitur.

Bone Deus! itane tibi ſervitur, vel itane ſervitur mundo? Homo ſcelus unice diligit; & amans te aliquid de ſua dignitate putat decedere? Cor illius adeo ingens, atque magnanimum in affectionibus ſuis, infirmum eſt, abjectumque in pietate. Si mundo ſervit, nihil grave illi videtur; currit, pervolat, ea etiam conatur, quæ fieri minime poſſunt, ſeſe devovet, propriiſque conficitur ardoribus ad idolorum ſuorum pedes provolutus; coram te vero, o Domine; illum ſua deſerit virtus, ignis ſuus extinguitur, ac videtur ſatis eſſe illi ſuum erga te amorem teſtandum eſſe, ut omnis imbecillitas illius cognoſcatur. Nulla in re vim pati poteſt, nihil ferre, cum interim ſe mancipet eorum voluntati, a quibus mercedem aliquam opperitur. Pollicetur quidem pro te quidquid difficillimum, graviſſimumque eſſe poteſt, efficere; ubi vero fides præſtanda eſt, ne minimum quidem exercere conatum audet. *Idem*.

In minimis rebus negligentia adducit ad rerum maximarum prævaricationem.

Proximi peccato ſumus, cum prope ejuſdem fines deambulamus. Tranquillo animo infideliter res minimas negligis, quamprimum tentaberis, ut & in maximis eamdem præteferas infidelitatem; inter attentionem, quæ adhibetur, ut ea tantum ſerventur, quæ de precepto ſunt, & illius violandi libidinem, atque deſiderium breve intercedit diſcrimen. Cum tandiu cum Deo diſputatur, metuendum eſt, ne invito animo id fiat, quod illi tribuitur; ſi illi adhuc obtemperatur, hæc eſt obedientia ſervi ſub ea, quam geſtat, ſarcina murmurantis; ſi quid illi ſacrificatur, cor lacrymis illud proſequitur ſacrificium, quod manus offerre tenetur; idolum confractum nos movet, eique ſæpe ſuſpiria, lacrymaſque noſtras offerimus, cum etiam cultum noſtrum eidem negamus. *Idem*.

Ejuſdem argumenti continuatio.

Tranſitus de vitio ad virtutem immenſus eſt, at de virtute ad vitium talis, ut vix intelligi queat; facilius deſcenditur, quam aſcendatur, atque ut cadamus ſatis eſt, ſe ſuopte ingenio derelinquere. Verumtamen cum vulgatior ad magnas res tranſitus per minimas fiat, cum medium ad extrema deducat, & naturaliter mediocritas quemvis pręcedat exceſſum, naturale eſt, ut res minimæ ad maximas aditum ſternant. Ita audaciſſimus quiſque peccator timidus fuit, impietas abyſſus eſt, repente non effodienda. Hæret primum aqua, aliquandiu ſemper obluctamur, antequam primi obices infringantur; & raro maxima crimina ſpecimen fuere nequiorem hominum improbitatis . . . . . Primum non aliud erat, quam minus eſſentialium officiorum oblivio; pondus, atque laſſitudo, quę in pietatis exercitiis ſentiebatur, periculoſa occaſio non ſatis caute evitata: moroſus intuitus voluptatum terræ hujus cor illexit; ſatis ſibi non cavit ab hoſte, qui illecebris ſuis, ac ſua ſæpe aggreditur innocentia; putabatur futurum, ut horror vitii nos intra virtutis limites coerceret: bonorum deſideriorum confidentia tutos noſmet arbitrabamur tamquam imprudens nauta, qui cum mare tranquillum eſt, ſomno ſe capi ſinit . . . . Ob hanc ſa-

ne cecidimus cauſam, quia nos ſtare credebamus. *Idem*.

Ejuſdem argumenti continuatio.

Ex omnibus inſidiis, quas dæmon hominibus ſtruit, nulla periculoſior eſt, quam exiguarum rerum negligentia. Naturalis horror ſatis nos tuetur contra infanda ſcelera, ac deficiente virtute, conſcientia, pudor, metus de media affectuum turba vocem attollunt, eiſque ſilentium indicunt. Non ita eſt de levibus noxis; eorum deformitas, quæ vix poteſt dignoſci, oculos non terret, ſed fallit; & quia illi neque conſcientiæ ſtimulis, neque infamia nos urgent, eiſdem ſine ulla cedimus reſiſtentia, eæque ſua parvitate triumphant. Verum hæ infirmitates, quæ cupiditatis noſtræ oculis contemnendæ videntur, non ita ſunt in oculis æternæ juſtitiæ, & niſi mortem uno inferunt ictu, veluti manifeſtæ iniquitates, ſenſim tamen in venas ſecretum virus inſtillant, quod licet lente operetur, mortem nihilominus infert. *Ex alio Auctore ejuſdem Collectionis*.

Status hominis officia minoris momenti negligentis.

Homo officiis ſuis perfungi vult, quin aliquid ſuis voluptatibus detrahat, atque in mundi negotiis terit tempus, in Religionis exercitiis tranſmittendum; ad honores viam non ſceleribus ſibi ſternit, ſed illis cum ambitione perfruitur; in jure dicundo ſatis religioſus, ſed quandoque in charitate deficiens; nullo, in ſpeciem, obnoxius vitio, præterquam quod virtutibus caret; interim tranquillus quin animadvertat, quo in ſtatu ſit, & timeat illum, in quem labi poteſt . . . Sentis peccati horrorem imminui, & corruptionis ſtudium augeri; ita illum trahit torrens, quia ſeſe eidem committit; vitia ejus augeſcunt, qua contemnuntur, atque omni excuſatione indigna fiunt, quia ſibi in illis indulget. *Idem*.

Parvi defectus contempti generalem pariunt corruptionem.

Qui ſpernit modica, paulatim decidet. Hoc ſæpe in religioſis domibus accidit, ubi quilibet perfectioni ſuæ magis invigilat. Ibi in morum diſſolutionem nemo unquam per gravia ſcelera, ſed ſenſim per exiguas diſciplinæ relaxationes decidit; immo neque ſimul omnes labuntur; malum ab uno vel duobus ducit initium, qui primum nonnullos, mox vero omnes habent ſectatores. Per gradus in imum deſcenditur, primum quidem novitius fervor remittitur, exiguæ contemnuntur regulæ, atque animi ſenſim diſſipantur; mox ſequitur murmuratio, inde inobedientia, ac tandem religioſæ diſciplinæ faſtidium. Interiorem animi recollectionem alii quidem otio, alii nugarum affectu, plures viſitationibus, terreniſque negotiis amittunt. Ita ex parvis filaminibus, quæ initio nihil eſſe videntur Superiorum negligentia magnis tantummodo malis invigilantium, efficiuntur vincula non amplius infringenda. *Liber cui titulus, Jeſu Chriſti Paſſiones*.

Res modicæ facile negliguntur.

Parum adlaboramus, ut quaſdam abjiciamus imperfectiones, quæ Deum lædunt, magna a parvis ſecernentes officia, in his quidem remiſſius agentes, dummodo eorum diligentes obſervatores videamur, virtutem non amplectentes in omni plenitudine ejuſdem, inter præceptum, ac diſpenſationem hærentes, id tantum volentes efficere, quod ſevere imperatum eſt, & malum etiam operantes, quia ſenſim ad earum rerum, quæ momenti majoris ſunt, contemptum devenimus per negligentiam earum, quæ nobis leves videntur. Huc tandem redit minimarum rerum negligentia. *Ex Moralibus Sermonibus*.

Minuta officia negligi poſſunt, quin ſtatim & majora negligantur.

Hoc nos cogere debet, ut in omnibus fideles ſimus Deo, ſummamque præ nobis feramus diligentiam in muneribus noſtris a minimo ad maximum uſque obeundis: cum fieri nequeat, nos in aliis quidem fideles eſſe, in aliis vero infideles. Attamen plurimi Dei legem partiuntur, alii quidem magna, alii vero parva, ſi quæ tamen parva ſunt, contemnentes officia; alii religioni ſibi vertentes niſi parva ſervaverint, interim magna contemnentes, ut Phariſæi Evangelici qui culicem percolabant, camelum vero deglutiebant; qui ſumma cura humanas traditiones conſectabantur, graviora, & maxime neceſſaria Dei præcepta infringebant; qui ſummum nefas putaſſent in lancibus non bene lotis comedere, cum interim ſeipſos polluerent iniquitatibus, injuſtitiis, rapinis, ac aliis criminibus, quæ ab ipſis quotidie committebantur. Talis etiam eſt plurimorum Fidelium obſervantia, qui omnem Religionem ſuam in minutis rebus, majoribus neglectis, conſtituunt: ſed longe major eorum eſt numerus, qui minuta contemnentes, ſufficere putant, ſi majoribus obſequantur. Addimus tamen fieri nequaquam poſſe, ut aliquis in minimis rebus infidelis exiſtat, quin ſuffocet ſimul certiſſimum ſinceritatis virtutis noſtræ teſtimonium, cujus ſpiritus ſine ulla comparatione magis in minorum, quam in majorum rerum elucet obſervantia; quia cum majora negligere nequeamus ſine ingenti ſcandalo, & quin publicam ſubeamus invidiam; ubi ea facimus, non liquet utrum hominum, an Dei, vel noſtræ conſcientiæ timore adacti ea faciamus. E contra vero ubi rebus in omnibus diligentes ſumus, & minimas etiam circumſtantias ſervamus, quarum contemptus minime verecundiam ciet, neque ita facile cenſoria nota ab hominibus perſtringitur; hoc tunc certum eſt teſtimonium, quod ſincera eſt virtus noſtra. *De Sancto Martino. Sermone de Devotione pro feria quarta poſt quartam Quadrageſimæ Dominicam*.

A levioribus ad graviora crimina tranſitus fit.

Fieri nequaquam poteſt quominus in magnam relaxationem decidamus, ubi levia contemnantur crimina propter inſenſibilem peccati progreſſum, quod cancrenæ inſtar paulatim extenditur, & ab una ad alteram partem progreditur, donec totum corpus tabo ſuo miſere infecerit. Et patet ratio; cum enim neque parvitas, neque magnitudo rei, ſed Dei mandatum nos obliget: qui ſemel illud in parvis rebus negligere cœpit, jam paratus eſt ad illud in majoribus etiam negligendum; & ſi illud in majoribus revereri poſſet, poſſet quoque in minoribus, hoc enim ſemper Dei mandatum eſt, ubique colendum . . . . . Non ſola eſt inobedientiæ qualitas, ſed mandatum Dei . . . . . Parva res, profecto parva eſt; ſed in re parva fidelitas, vel infidelitas ſemper eſt magna, quia Dei mandatum exigit obedientiam in minimis æque ac in maximis rebus, & ſervatur, vel infringitur in minimis æque, ac in iis quæ maximi momenti cenſentur. Hinc tamen nequaquam inferre cum hæreticis volo virtutum, vitiorumque æqualitatem; ſed hanc ſolum veritatem ſtatuere, nulla videlicet eſſe peccata, quæ coram Deo magna non ſint, & quæ diligentiſſime evitare non teneamur; & minima etiam diligentius adhuc quodammodo, quam maxima, ubi facile inobedientiam noſtram cognoſcimus; a minimis e contra fere numquam abſtinemus propter cordis noſtri infidelitatem, quod ſeipſum fallit, nobiſque levia crimina repręſentat tamquam omni culpa carentia, quod efficit, ut ſine ulla religione ea committamus. *Idem*.

Quanti facienda ſint etiam minima, cum de virtute ſermo eſt.

Antequam magnus hic ſanctus leviora perhorreſceret crimina, ſummopere eas conſectabatur virtutes, quæ vocantur exiguę, ſed quas animæ magnæ pretioſas appellant: ſeu quod frequentes occaſiones actus earumdem exercendi, quæ quidem ſeſe nobis in ſingulas horas offerunt, locum ipſis præbeant ingentes meritorum theſauros congerendi; ſeu quod in hominum oculis non effulgentes, ut ſpecioſę virtutes illæ quæ populi ſibi admirationem conciliant, minus patent inimicorum noſtrorum adſtantium in ſpecula depopulationi, & vento vanitatis pulcherrimos quoslibet fructus dejicienti. Neque ideo dixerim heroicas Sanctorum virtutes in vita illius miro quodam fulgore non enituiſſe: Omnia in eo magna erant; ſed ille magnis ita vacabat actionibus, ut minimas non negligeret, omniaque in lucro poneret. *P. Novet in Meditationibus ſuis*.

Se Deum amare teſtatur, qui nihil eorum negligit, quæ ad ejus pertinent cultum.

Qui Deum vere amat nequaquam negligit minutas eidem placendi occaſiones, eas virtutes exercens, quæ ſeſe illi offerunt. Omnibus vacat, ut ex omnibus aliquem fructum percipiat, nullamque ſibi elabi patitur occaſionem proficiendi . . . Hæc fidelitas, & mentis attentio in minimis etiam rebus, quæ ad Dei cultum pertinent proprius eſt magnarum animarum, ſervorumque Dei caracter; hæc miram ſanctitatis notam omnibus eorum actionibus, leviſſimis etiam inurit; hæc illos a cæteris vulgo animabus diſtinguit, quæ quidem actionibus majoris momenti invigilant, cæteras vero, quas minoris pendent, negligunt, atque contemnunt. Ad hæc animæ, quæ vere Deum diligunt religioſiſſimam habent conſcientiam, quæ minimis etiam erratis offenditur, propter quæ coram Deo indefinenter lacrymas effundunt. *Idem in Receſſu quinto*.

Dæmon bonos nonniſi in minimis rebus aggreditur.

In bonis hominibus ſanctus virtutis habitus efformatur, adeoque certum in omnibus præcipuis officiis propoſitum; ut dæmon non audeat ad illa infringenda eos palam provocare. Eminus ergo illos aggredi tenetur; eos parvis lapſibus infirmare conatur. eorum charitatem imminuere, & in quaſdam perículoſas vias pertrahere, quarum illæ periculum mi-

nime ſentiant; in minutis potiſſimum occaſionibus eas laceſſit, atque Diaboli conſilium eſt animas paulatim infirmare, ut deinde facilius in mortale aliquod ſcelus eas præcipites agere valeat. Itaque ut dæmoni magnis in occaſionibus reſiſtamus, eidem in minimis reſiſtendum eſt; ad majores lapſus evitandos, leviores contemnendi non ſunt, & ſi fieri poſſit, omnino evitandi; omni niſu eorum damnum reparare oportet, ac vim elicere ex humilitate, cujus ſenſum nobis illa debent immittere. *Eſſais de Morale t. 5.*

In Dei ſervitio nihil eſt negligendum.

Hoc nihilum eſt, inquiunt; leve erratum eſt, exiguus error, parva gratia, quodnam imminet periculum hæc negligentibus? Nihil parvum eſt ex iis, quæ ad tantum Deum referuntur, & quæ illi vel placere poſſunt, vel diſplicere. Parvum non eſt in omnibus parvis rebus illi fidelem eſſe; immo magni amoris indicium eſt, velle in omnibus placere illi, qui amatur, ac nolle ulla in re, quantumvis læviſſima videatur, illi diſplicere. Si præſtolaris, donec inſignes tibi occaſiones occurrant agendi propter Deum, quandonam ages! Quam infrequentes ſunt in hominis vita hujuſmodi occaſiones! creatura vero, quæ adeo parva eſt, poteſtne magnum ducere, quidquid propter Deum adnitatur? Dei magnitudo, quæ auget quidquid contra ipſum audemus, id imminuit quod facimus propter eumdem. *P. Nepveu, Tomo 1. Conſiderationum Chriſtianarum:*

Parvæ res neglectæ ſæpe magnos habent effectus.

Dei Filius affirmat eum qui in modico fidelis eſt, in maximo etiam fidelem futurum, & eum qui in modico eſt infidelis, in maximis quoque fore infidelem. Terribile verbum, ſi illud intelligimus, ſi credimus! at licetne de eodem ambigere quandoquidem egredietur de ore Dei? Maxima quælibet incendia ex neglecta favilla ut plurimum incipiunt; graviſſima peccata ex veniali noxa, quæ patrata eſt; hominis reprobatio ex gratia contempta. Saul ſpecie quadam neceſſitatis compulſus non expectat Samuelem, ut offerat ſacrificium. Facinus leve videtur, attamen immutat cor Dei erga illum, ac fit reprobationis ejus initium. Quos terribiles effectus inconſideratus oculorum conjectus Davidi non peperit? Leves infidelitates, ac exigua Judæ furta illius confirmarunt avaritiam, eoque evaſerunt, ut Dominum venderet. *Idem.*

Status cordis minima negligentis in cultu Dei.

Scrutemur cor hominis ea, quæ minuta ſunt, negligentis ſive in bono, ſive in malo; intuebimur tibi timoris reliquias, cum licentia decertantis; illud ſaltem ad tempus magnis Religionis inſtitutis ſubjicere; necnon videbimus ejus vanitatem vulgaria officia ad populum timidum remittere; parumque abeſſe, quominus horum officiorum pertæſum Deo ipſi non ſuccenſeat; ejus vel ſapientiam incuſans, quæ illa religioſius præcipit obſervari, vel juſtitiam redarguens, quæ eorumdem contemptum perſequitur. Quaſdam ſibi injuſtitias permittit, quædam ſibi licere vult, quæ ipſi indifferentia videntur, atque ſibi futurum pollicetur, ut longius minime progrediatur; ſibi fragilitatis ſuę cancellos conſtituit numquam prætergrediendos, ſe virtutis ſuæ certum putat, ejuſque vadimonium habet audaciam. Putares, hominem hunc licet infidelem, & ingratum, certum eſſe amoris Dei ſui; & primi ordinis gratias illi deberi. Vos iſtic tamquam in ſpeculo intueamini, o homines, qui veſtrum metipſorum eſtis contenti; omniaque, ipſam etiam ſecuritatem veſtram metuite. Judicaſtis inter legem, & legem; minutas regulas contempſiſtis, at quanti eſſent illæ momenti ex ea, quæ vobis imminet, calamitate percipietis. *Deſumptum ex Collectione Orationum Gallicæ Accademiæ oblatarum anno 1702.*

Ejuſdem argumenti continuatio.

Nequicquam putas relaxationes tuas excuſari, quia cum periculum adeſt, non cedis. Licet in hoc ſubſiſteres, ut exiguas virtutes negligeres, ac minora peccata diſſimulares, nonne hoc ſatis eſt, ut hunc formides ſtatum, qui maximis te privat ſubſidiis, maximiſque te admovet iniquitatibus? Num expectandum eſt, donec in horrentem abyſſum præceps cecideris, ut illius profunditatem ſcruteris? *Idem.*

Minimis in rebus attentio rara eſt in ſalutis negotio.

Nihil infrequentius eſt quam in rebus minimis vigilantia, ubi de graviſſimo agitur noſtræ ſalutis negotio. Sanctorum præceptorum obſervantia, quorumdam bonorum operum exercitatio pleriſque fidelibus ſufficere videntur ad ſupremum bonum indipiſcendum. Inter hujus moralis diſciplinæ cancellos ſeſe continentes, ſine religione ulla in plurimas leves culpas ruunt, neque eas putant eſſe infidelitates animam in omne flagitium ducentes. Hic profecto eſt errorum omnium occultiſſimus æque ac periculoſiſſimus. Cum enim ex altera parte noſtra vivendi ratio divinis videatur legibus conformis, quænam ſpecies eſt, eam apud nos in ſuſpicionem vocari poſſe? Ex altera vero parte quodnam majus periculum eſt, quam fidenter eam terere viam, quæ tuta putatur, ſed quæ ſenſim in abyſſum inducit? *Ibidem.*

Cum minima in terrenis negotiis non negligantur, cur in ſalutis negotio ſunt negligenda?

Hæc in ſalutis negotio negligentia infidelitas eſt, quæ nos eo magis coram Deo efficit nocentes, quo infrequentius a nobis res minimæ in ſæcularibus negotiis negliguntur. Aliquamne concipimus animo fortunæ ſpem, aliquod ambitionis, vel utilitatis argumentum nobiſmetipſis proponimus? tunc deſideriorum noſtrorum violentia omnem attentionis noſtræ ſemper excitat vigilantiam. Quanam ſollicitudine ea amovere contendimus, quæ nobis eſſe poſſunt impedimento? Qua cura conſectamur ea, quæ licet minima, tamen conſilio noſtro profutura ſperamus? Qua conſtantia quæcumque ſeſe nobis obtulerint difficultates, ſuperare contendimus? Curæ, ſtudia, humilitas, labor, jugis attentio levia nobis videntur, dummodo voti damnemur. Si votorum ſummam aſſequimur, inde noſtra augetur voluptas quod optatum finem noſtris tantummodo laboribus acceptum referre debemus, ſin autem e contra ſpes noſtræ in irritum abeunt, hæc tamen nobis reliqua eſt conſolatio quod nihil intentatum reliquimus. Facile intelligi poteſt, unde in nobis ex altera parte tantum vigilantiæ, ex altera vero tantum negligentiæ proficiſcatur. Tanto bonum aliquod ardore proſequimur; quanta illius poſſidendi cupiditate flagramus; atque non ſine maxima verecundia fatendum eſt, nos multo minus ſalutis noſtræ, quam terrenæ utilitatis negotio teneri. Hinc fit minimas negligentias æque noxias eſſe, ac periculoſas; in nobis enim ſupponunt incuriam, atque audeo dicere, quemdam noſtræ ſalutis contemptum. *Idem.*

Qui contemnunt modica, de ſalute ſua timeant.

Quamquam homines vulgo ea crimina, quæ levia putantur, contemnant; liquet tamen ſæpe nihil pro ſalute ſua illis magis eſſe timendum, quam cum in præcipuis Religionis muneribus obeundis ſolliciti, in minoribus oſcitantur. Hæc ſententia nequaquam illis inaudita, ac mira videbitur, qui norunt, neminem repente nequam fieri; virtutem, ac vitium paulatim tantummodo addiſci; per gradus progreſſum fieri, & ab uno ad alterum extremum non ita facilem tranſitum eſſe... Quam periculoſus eſt imperfectorum hominum, vel ut melius dicam, animorum ſemicorruptorum ſtatus, qui jugiter inter legem, atque diſpenſationem hærent, qui inter majora, minoraque præcepta diſcrimen conſtituunt; qui quamdam cum Domino contractus ſpeciem paciſci videntur; & quia in majoris momenti rebus obediunt, jure ſe eiſdem diſplicere poſſe putant in iis, quæ momenti minoris videntur. Status ſæpe, de quo magis deſperandum eſt, quam de nequiſſimorum peccatorum ſtatu; & ubi tandem nos longius a ſalute abeſſe intelligemus, quam ſi noſmet flagitioſiſſimis quibuſcumque ſceleribus abdidiſſemus. *Idem.*

Eo pacto, quo cum Deo egerimus, eodem ille nobiſcum aget.

Deus vobiſcum eodem aget pacto, quo vos ſecum; clauditis illi cor veſtrum, ille vobis charitatis ſuæ viſcera obſtruet; & negligentia veſtra, quæ cum remiſit ardorem, quo Dominum diligebatis, remittet etiam amorem, quo vos complectitur Deus. Quemadmodum non ſine quadam exceptione voſmet illi tribuitis, ita neque ſe vobis cum gratiarum profuſione communicabit. Ea tantum effugitis ſcelera, quæ vos omnino perdere poſſunt; eas ſolum vobis gratias impertiet, quæ poſſunt quidem abſolutæ ſaluti veſtræ ſufficere, cum quibus tamen peribitis: Gratias, quæ potenter ad virtutem excitarent animam, in omnibus Deo placere geſtientem, minimiſque muneribus ſuis diligentiſſime perfungentem; ſed quæ tamen movere non poterunt animam veſtram tot periculoſis affectibus implicitam, & Deo negantem omnia præterea, quæ negare eidem non poteſt, quin palam ejuſdem in ſe conflet indignationem. *Idem.*

Oratio ad petendam a Deo gratiam adimplendi omnem juſtitiam.

Divine Salvator, qui ſemper te adeo fidelem legis nobis irrogatæ obſervatorem demonſtraſti, qua ſermonibus, qua exemplis docens a nobis omnem juſtitiam eſſe adimplendam, ne diutius patiaris injuſtum hoc diſcrimen obedientiæ noſtræ, quo majora præcepta a minoribus ſecernimus, ubi ſatis eſſe putantes, ſi expleverimus alia, ab aliis nobiſcum benigne diſpenſamus. Diſcute potius periculoſas has illu-

illuſionum mentis noſtræ caligines, quæ efficiunt, ut ſcelera noſtra levia nobis videantur, & diſſipa hunc cordis teporem, qui efficit, ut illa nullo in diſcrimine habeamus. Fac, ſentiamus infinitæ Majeſtatis tuæ magnitudinem, ut quidquid ad te ſpectat nobis magnum videatur; accende in nobis charitatem tuam, ut quidquid diſplicet tibi, nobis quoque diſpliceat. Fac, Domine, ut bene tuis gratiis utentes, novas ſemper promereri valeamus, ac ea fidelitate, qua in minimis etiam occaſionibus tibi gerere morem geſtiemus, noſmet diſponamus eamdem in majoribus etiam adhibendam. *Idem.*

Plures difficilioribus ſuperatis in facilioribus deficiunt.

Complures videmus, qui, ubi magnę ſeſe offerunt occaſiones, omni niſu contendunt ac ſeipſos vincunt; qui ſtrenue magnas tolerant perſecutiones, & ultro ſeveriſſimas exercent auſteritates; ſed qui turpiter deficiunt in minimis, ubi ſibi vim facere nequeunt, neque ſe regulari vivendi rationi ſubjicere poſſunt. Conſtanter ſęviſſimas ſuſtinent perſecutiones; ſed ob leviſſimam contumeliam ſuccenſent. Hæ virtutes ſunt; quæ validiſſimis probatæ, ac præparatæ tentationibus miſera infirmitate in nugis deficiunt. Homines hujuſmodi magna fovent deſideria quodcumque ferendi malum, & pro Dei confeſſione mortem ipſam obeundi, ſi ita ferret occaſio: atque his votis ſuam alunt vanitatem amorique proprio blandiuntur; ſed in minimis rebus, quarum aſſidua ipſiſque gravis vigilantia eos torquet, omnem patientiam amittunt. Quod non aliunde proficiſcitur, niſi quod facilius eſt ad tempus in difficilibus inſuetiſque rebus vim ſibi inferre, quam jugem de ſe referre victoriam, & toto vitæ ſuæ tempore, quæcumque ingruant occaſiones, ac in omnibus ferme actionibus; quæ ſunt ſuſcipiendæ, ſibi vim facere. *Pater Guillorè in tractatu de rerum minimarum momento.*

In minimis non minus plerumque meritum eſt, ſed minor vanitatis occaſio, quam in maximis.

Ad ambitionem noſtram deprimendam, auferendumque proprium amorem in iis, quæ facimus bona, quam maxime prodeſt mortalium oculos fallere. Hoc perfecte in parvis rebus invenitur, ubi intuentium nos non excitant oculi; quia tunc Deus unus ſpectator eſt noſtri certaminis, ac teſtis victoriæ, quam de nobiſmetipſis reportamus. Et hęc vera eſt ambitionis humanæ mentis domandæ ratio, quæ ideo bonum aliquod operatur, ut hominum exiſtimationem, atque ſuffragia ſibi conciliet. At magni labores pro Dei gloria ſuſcepti, bonorum ſuorum in operibus piis erogandorum alienatio, Apoſtolici curſus, ut plurimum, homines habet teſtes, & admiratores; & perraro inveniuntur, qui hominum judicia contemnant, atque laudibus minime alliciantur, cum inſignia quædam fuerint operati. E contra vero in modicis factis nullus jactantiæ ſenſus nos tangit, & qui operatur illa, vix intelligit ſe quidquam facere propter Deum ob parvitatem objecti, neque putare poteſt ea Domino accepta eſſe poſſe, quandoquidem illa ipſe flocci facit. Longe aliud ſentiendum de illis eſt, qui fulgidioribus funguntur officiis, qui populos convertunt, qui vires ad pietatem excitant, qui centum habere manus videntur, quibus pia opera adimpleant, & qui præterea ſe ipſos ſeveriſſimis auſteritatibus torquent. Hæc omnia facile mentem inflant, & faciunt, ut dulce ſecretæ vanitatis virus ſenſim in animum fluat. Magnas concipiunt eorum, quæ operantur, ideas, quia magis effulgent, quam cæteri, qui non adeo inſigni munere perfunguntur. *Idem Tractatus.*

In rebus magnis ſæpe minus propter Deum, quam propter res ipſas operamur.

In magnis actionibus accidit ſæpe, ut objecti fulgor mentem magis perſtringat, eique majorem motum injiciat, quam ipſius Dei cogitatio; exempli gratia Concionatorii muneris dignitas, inſignis Doctoris celebritas, Miſſionis fama, ſapientis, ſcitique Confeſſarii nomen, ad populos erudiendos inſtitutiones, aliæque id genus charitatis actiones, cum magnæ ſint, magis ad eas ſuſcipiendas animos addunt, quam ipſa Dei gloria. Saltem verum eſt fere ſemper ibi diviſam eſſe exiſtimationem; ſi enim in famoſis hiſce muneribus obeundis non deeſt Dei ipſius gloria; non modica etiam gloriæ pars muneris hujus dignitati cedit, quæ humanum cor agitat, atque ita præclare facta ſæpe non minoribus vitiis corrumpuntur. Prorſus oppoſitum in parvis rebus uſuvenit, ubi pro Deo ſolum agitur, quia objectorum tenuitate nequaquam ad agendum allicimur. *Idem.*

In paucis rebus nihil pro Deo nos facere putamus, neque inde gloriamur.

In rebus exiguis, quas pro Deo facimus, facile credimus, nos eidem nihil tribuere, deque munere noſtro humiles ſenſus habemus; harum quippe rerum parvitas efficit, ut non ſatis amplam de iiſdem concipiamus ideam, licet illæ in oculis Dei ſatis niteant. At in iis, quæ magna pro divinæ Majeſtatis cultu operamur, facile eſt, ut magnam actionum noſtrarum ideam nobis adſtruamus, puteműſque non pauca eidem tribuere, cum illi ſanguinem, ſudores, labores magnos, inſignes eleemoſynas, omniaque bonorum operum genera, quæ plurimum fulgent, erogamus.

Cur pauci res parvas habeant in pretio.

Liquet pauciſſimos eſſe homines vere ſpiritales, atque perfectionis ſummum apicem obtinentes, quia pauciſſimi in minimis rebus ſunt diligentes. Reſpuunt animum ſuum torquere, eique vim facere, ſenſuum vitam amant, volunt, & probant, ut plurimum, ſpecioſa tantum officia, magnas actiones, inſignes eventus; ideoque interior vita negligitur, quæ petit, ut hæc minima iterato conſiderentur, & penitiores cordis latebræ explorentur. *Idem.*

Si res parvas pro Deo facere negligimus, quid tandem pro eodem faciemus?

Si parva negligis, quid tandem pro Deo facies? Numquid par es magnis faciendis, eorumque faciendorum ſibi ſuppetunt occaſiones? Num cogitare debes te in rebus magnis fidelem futurum, ſi infidelis fueris in minimis? Denique ignoraſne perfectionem noſtram nequaquam in eo eſſe poſitam, ut magna faciamus, ſed ut faciamus bene, quæ a nobis exigit Deus, quin cogitemus utrum magna ſint, an exilia; & quæ per ſe minima ſunt, non eſſe amplius parva, ubi divina eas voluntas depoſcat? *In tertio Tomo Operum Aſceticorum P. le Valois.*

Potior vitæ noſtræ pars exiguis conſtat actionibus, quas bene operari, maxime intereſt.

Quam maxime intereſt ſcire, ubi ſeu in bono, ſeu in malo parvæ res contemnantur, nullum fieri poſſe progreſſum. Et ratio conſtat; nos enim boni ſumus, vel mali prout vita noſtra ex bonis, vel malis operibus coaleſcit, in quæ bona, vel mala influunt principia. At potior pars actionum vitam noſtram conſtituentium parvæ ſunt, ac in ſe levis momenti, quippe magnæ occaſiones raro tantum ſeſe offerunt nobis. Communes actiones noſtræ ſunt veſci, quieſcere, conſurgere, cubitum ire, cum aliis verſari, legere, orare, ſecundum vitæ noſtræ ſtatum labori vacare; ſi perperam, vel imperfecte hujuſmodi actiones facimus, vita noſtra mala erit, imperfecta, & humi repens. Homo non dicitur virtute prędirus cum per intervalla temporum aliquem elicit virtutis actum, ſed cum habitualiter ipſam poſſidet virtutem. Si ſatis nobis eſſe cenſebimus virtutem in magnis tantum occaſionibus exercere, nunquam ad virtutis perfectionem perveniemus. *Ex Tomo primo Epiſtolarum Patris Surin.*

In parvis fidelem eſſe opus eſt quia raro fideles eſſe poſſumus in magnis.

Occaſiones magna faciendi ſacrificia ſatis raræ ſunt; omnis vita parvis repleta eſt officiis, in quibus ſi fideles non ſumus, ſervi ſumus ſemper infideles; quid autem ab hac infidelitate metuendum non eſt? Meminerimus inſignes gratias vulgo fructum eſſe fidelitatis in minimis rebus adhibitæ, quemadmodum hæc eadem fidelitas effectus eſt magnæ erga Deum charitatis; ſi per tepiditatem infueris hiſce ſubſidiis, ſingularibuſque gratiis viduamur, quæ ubi occaſio adeſt magnos animos addunt, quid metuendum non eſt? *P. Croiſet in Conſiderationibus Spiritualibus.*

Parva Deo ſæpe gratiora ſunt magnis, qui ea diligentius obſervat, majorem Deo fidelitatem teſtatur.

Si qui parva tantummodo faciunt, majora etiam facere deſiderant, atque interiori animo ſeſe attollunt, & indiſcriminatim amplectuntur omnia, quæ aliquid ad Dei gloriam poſſunt conferre; eorum quidem opera in ſpeciem parva videntur, ſed vaſta ſunt deſideria; ac parati ſunt, ut id agant, quodcumque divina manus illis faciendum obtulerit. His addi poteſt, ſæpe actiones eas, quas parvi momenti putamus, & contemnendas ducimus, & quas vulgo fideles nullo habent in pretio, has Deo magis acceptas eſſe, & majus apud illum meritum invenire. Non eſt magni amoris magnum argumentum præcipua ſervare mandata, non patrare cædem, non evomere blaſphemias, aliena non ſurripere. Pietate enim, & religione careat opus eſt, qui in hæc ſcelera ruit; ſed inde patet utrum Deo placere gaudeamus, utrum zelo, & charitate eum proſequamur, utrum ita eum diligamus, ut numquam ex oculis, & animo eum nobis patiamur excidere; ſi nihil eorum, quę eidem placent, negligamus. Hæc anima, exempli gratia, quę eidem prorſus devota eſt, quę propter illum unice vivit, quæ illum jugiter concupiſcit, ultro a jucunda hominum converſatione recedit; ſcit enim ibi fore ut nonnulla dicantur, quæ Deo poterunt diſplicere. Appetitui ſuo denegat, quod cum voluptate comederet; de conſueto ſomni tempore horæ ſpatium abſcindit; haud ægre, immo libenter duriuſculum patitur verbum; pro virili eorum, cum quibus conſuevit,

vit, oculos fallere geſtit, ut aliquandiu coram Deo verſetur; nullam ſibi elabi patitur de iis bene merendi, occaſionem, quos de ſe male meritos novit; denique nihil prætermittit, quod ſcit, & credit Deo ſuo placiturum. Omnes hæ animi diſpoſitiones minutę videntur, attamen in illis te fidelem prębere quiddam magnum eſt: *Quod minimum eſt, minimum eſt; ſed in minimo fidelem eſſe, magnum eſt*, inquit Sanctus Auguſtinus.

Religioſæ domus ſenſim laxantur, quia minoris momenti regulas negligunt.

De regularum ſanctitate in Religioſis domibus idem minime dicendum eſt, quod de corporum valetudine; habent illæ tempus, & durationem ſuam, cumque ad eum perfectionis gradum devenerint, cui illas deſtinaverat Deus, tepeſcere incipiunt ob defectum fidelitatis in iis, quæ minoris momenti videntur. Hæc veritas eſt experientia, & uſu confirmata, neque ullus umquam coaluit Ordo, vel Religionis corpus, quod illam expertum non fuerit: quod indicio eſt ad ſervandum primæ Inſtitutionis ſpiritum non aliam eſſe viam, quam diligentiſſime minutiſſimas quaslibet regulas conſectari. Hinc autem ſequitur, eos, quibus Deus aliorum curam commendavit, teneri eas tanta cura, & ſolicitudine tueri, ac ſi inde tota regularis diſciplina penderet, quemadmodum inde pendere jure dici poteſt; etenim ex minimarum perfractione ad majores infringendas fit tranſitus, donec totus ordo in omnimodam relaxationem labatur. *Abbas Trappenſis Tomo 2. libri, cui titulus. Maximes Chretiennes.*

Ratio cur ex parvis criminibus in magna cadimus.

De levibus criminibus Spiritus Sanctus dixit: *Qui ſpernit modica, paulatim decidet*; hoc eſt majora committet. Et ratio eſt, quia facilitas, qua leviora patrantur, ſenſim ad graviora viam ſternit, & infidelitas illa, quam Deo in minoribus oſtendimus, eum cogit, ut ſuas nobis gratias ſubtrahat, ſine quibus infirmamur, & mox facilius ruimus in præceps. Nonnumquam crimen, quod in hominum oculis videtur leve, coram Deo grave eſt. Liquet primum perfectionis gradum certum eſſe conſilium numquam audendi ea, quę contra Deum ſunt, & perfectum amorem nihil earum rerum prætermittere, quæ Deo placere, nihilque eorum pati quæ eidem poſſunt diſplicere. *P. Surin Tomo 2. Dialogor. Spiritualium lib. 5. c. 4.*

FIDES DIVINA,

VIRTUS THEOLOGICA.

Ejus certitudo, prærogativa, & quidquid ad hoc argumentum pertinet.

MONITUM.

Pauca reperies argumenta ſæpius de ſuggeſtu repetita, & de quibus Sancti Patres, Aſcetici, atque Theologi uberius fuerint locuti. Fides etiam prima eſt Chriſtianæ Religionis janua, ſalutis fundamentum, Theologicarum virtutum prima, atque totius Chriſtianæ Diſciplinæ principium. Igitur in tam vaſto argumento nobiſmet cancellos ſtatuere debemus, atque melior, utiliorque ejus tractandi ratio ea eſt, ſi omnia ad mores referantur.

Cum de Chriſtianæ Religionis Inſtitutione verba faceremus, eas rationes attulimus, quibus in hac fide confirmandi ſumus; oſtendimuſque hujus luce omnes idololatriæ tenebras, cæterarumque Religionum caliginem diſſipatas fuiſſe. Alibi etiam ſeorſim egimus de inſana Incredulorum, Atheorum, ac flagitioſorum hominum cæcitate; de qua nihil addemus; & quidquid a nobis iſtic afferetur, circa fidei certitudinem, ac neceſſitatem, circa uſum eximię hujus virtutis a nobis faciendum, ac zelum, quem in ea tuenda præ nobis ferre debemus, verſabitur; atque docebimus eam hodie raro inveniri, & in pleriſque Chriſtifidelium infirmatam quodammodo eſſe, & extinctam. Sed hæc omnia moraliter ſunt pertractanda, quatenus videlicet ad mores, vitęque noſtræ regimen ſpectant.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Variæ Concionum hujus Argumenti Adumbrationes.

I. Fidei neceſſitas, & utilitas, quæ nobis inde cedit, duas hujus ſermonis partes conſtituent, quæ colligent quidquid ad mores hoc in argumento eſſe poteſt utilius.

Pars Prior. Fidei neceſſitas quam Sanctus Paulus ob tres peculiariter cauſas aſſeruit, quæ tamen ad unicam, noſtram videlicet ſalutem rediguntur; hæc enim unice neceſſaria eſt, ad quam reliqua debent referri. 1. Neceſſaria eſt ad Deum, uti opus eſt, & cognoſcendum, & diligendum: *Accedentem ad Deum*, inquit Apoſtolus, *oportet credere, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit*. (Ad Hebr. 11.) At per Fidem tantum cognoſcitur, & æque illius magnitudinis, & perfectionis idea concipitur; necnon ſcimus illum ultimum eſſe finem noſtrum, eumque ſupremum bonum noſtrum futurum. Ad veritatem hanc probandam, ſatis eſt, mentis aciem convertere ad exiguam, caliginoſamque cognitionem, quam ſublimiora naturæ ingenia, felicioreſque mentes de ſupremo hoc ente habuerunt; quin ratio habeatur errorum popularium, in quos homines e trivio in Ethnica antiquitate ceciderunt. Cum homines ratione duce ſeipſos rexerunt, quænam per tot ſecula ſuper terrarum faciem miſera cæcitas verſata eſt? Quomodo potuiſſent Deum, quem non noverant, vel cujus imperfectiſſimam ſaltem cognitionem habebant, diligere? Quomodo illum invenire, vel ad eum pergere neſcientes quęnam viæ ad illum deducant? Oportuit Deum in terras deſcendere, ut eas nobis indigitaret, noſque erudiret de veritatibus, quæ ſunt neceſſariæ, ut illum aliquando poſſideamus, eumque in hoc mundo cognoſcamus, & diligamus; quas quidem nos docet Fides ex revelatione, quam Deus nobis conferre dignatus eſt; ſine qua ęterna obruti fuiſſemus caligine, horribilique eorum, quæ ad ſalutem noſtram pertinent, ignorantia ſepulti. 2. Fides eſt neceſſaria, ut placeamus Deo, inquit Apoſtolus: *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo*. (Ibidem.) Per fidem evadimus Filii Dei, & cohæredes Jeſu Chriſti; per fidem ſui ſumus, noſque pro populo ſuo fideli cognoſcit, & ſigno ſuo in Baptiſmo ſignamur. Nos ſumus *initium aliquod creaturæ ejus*, (Jacobi 1.) quam ex tot millibus ſibi elegit. Hoc nomen eſt, & qualitas, ſine qua numquam illi placere, eumque poſſidere poſſumus. Nihil hac veritate conſtantius eſt, nihilque facilius demonſtrandum. 3. Fides eſt omnino neceſſaria, ut Chriſtianam vitam vivamus, ut virtutes acquiramus; ita ut nulla ſit vera virtus, & actio nulla Cœlum mereri poſſit citra Fidem, quæ cæterarum virtutum, Charitatis vero præſertim, cujus veluti forma quædam eſt, fundamentum eſt, atque principium. Quamobrem Apoſtolus inquit: *Fides, quæ per Charitatem operatur*. (Ad Galat. 5.) Fides efficit, ut Charitas, ideoque etiam reliquæ virtutes, operentur. Itaque ſi Deo placere volumus, ad Deum ire, pro Deo agere, illius adſpectu frui, eumque æternum poſſidere, non ſatis eſſe debet Fides nobis per Baptiſmum infuſa, actualis etiam fides requiritur, ac ex fide vivendum eſt, quemadmodum idem Apoſtolus loquitur.

Pars

Pars altera, quę Fidei reſpicit utilitatem. 1. Noſtras mentes ad ſupernaturalem ordinem attollit, qui nos ad Cœli felicitatem diſponit; & quemadmodum efficit, ut in terra cognoſcamus Deum, efficit quoque ut divinos illi honores adhibeamus. Latius amplificari poſſunt eæ cognitiones, quas nobis impertit, & quas creatura nulla mentis ſuæ acumine umquam aſſequi poſſet. 2. Eos, quibus perſuaſum eſt de iis, quas docet, veritates, ſanctificat; ſicut enim omnino pura, & cœleſtis eſt, cum vitiis, quę ſunt terrę ſordes, ac Inferni ſemina, ſubſiſtere nequit. Illud affirmare non audeo, ejus jacturam fieri quolibet peccatorum genere, neque illam per ſe poſſe juſtificare; verum cum nobis data ſit non ſolum veluti ſcientia ad nos erudiendos, ſed etiam tamquam practica ſapientia ad vitam noſtram regendam; qui eadem utuntur ad ſanctitatem non pervenire non poſſunt; qui vero peccant contra teſtimonium, quod illa ipſis de officiis eorum perhibet, eadem quodam peccati ipſius effectu, ac divinæ juſtitiæ voluntate privantur. 3. Hæc efficit ut omnibus inimici tentationibus reſiſtamus, noſque contra omnes Inferni poteſtates imperterritos reddit.

II. Chriſtiani fides tres habere debet qualitates, ex quibus tres ſermonis partes conſtitui poſſunt.

Prima eſt perfecta ſubmiſſio iis, quę Deus revelarit, & decrevit Eccleſia.

Altera eſt firmitas, quę in eo poſita eſt, ut certiſſime credamus quidquid revelatum fuit, illud tueamur, neque novis, pernicioſiſque ſententiis circumferamus.

Tertia eſt Extenſio, quę in eo conſiſtit, ut omnia univerſe credamus, neque partiamur Fidem hæreticorum exemplo, qui nobiſcum fidei hujus quoſdam articulos credunt, alios vero rejiciunt. *Biroat in Quadrageſima.*

III. 1. Fidei certitudo, qua nulla major eſſe poteſt, innititur enim auctoritati Dei revelantis; Prophetiis, quas ad unguem adimpletas vidimus, certiſſimis miraculis fidem comprobantibus, omnemque de eadem dubitandi occaſionem auferentibus. 2. Fortitudo, quam nobis hæc fides immittit ad ardua quæque capeſſenda, & conſtantia, quam inſpirat ad cruciatus omnes perferendos propoſita gloriæ mercede, quam ſperare nos jubet, & cujus eſt fundamentum: *Sperandarum ſubſtantia rerum*. (Ad Hebr. 11.)

IV. Fides in veris fidelibus tres parere debet effectus.

1. Ut credant conſtanter, ac ſine exceptione veritates omnes, quas revelavit Deus.

2. Ut obediant legibus, quas irrogavit; hæc enim fides nos ad omnium Chriſtianarum virtutum praxim impellit, nec in ſola ſpeculatione quieſcit.

3. Ut omnes nefarios affectus, omnia ſtudia prava coerceant,

V. Vera fides in tribus conſiſtit. 1. Ut credamus ex corde, ac interiori firma, inconcuſſaque fide, quidquid Deus revelavit; 2. Ut ore profiteamur, quod credimus ea animi fortitudine, quæ Chriſtiano viro digna eſt; 3. Ut factis id teſtemur, quod credimus,

VI. Chriſtianorum hujus temporis fides tres potiſſimum defectus habet tribus ſermonis partibus impugnandos.

1. Alii fidem habent curioſam; ſcire volunt, quomodo fieri poſſit, quod Deus revelavit; rerum omnium rationem inquirunt, & ex eorum numero ſunt, de quibus loquitur Apoſtolus: *Languent circa quæſtiones*. (1. ad Tim. 6.) 2. Alii fidem habent infirmam, quæ ſeſe prodere non audet, neque palam profiteri quænam ſit, ob metum judiciorum hominum. 3. Alii fidem habent morientem, ac fere extinctam ſine motu, ac ſine actione, numquam videntur agere, ut fideles decet, & ſuæ Religionis munera obire.

VII. A tribus cavendum eſt defectibus, qui vulgo contra fidem committuntur.

1. Curioſius inquirendum non eſt, quod nobis occultum voluit Deus: *Scrutator majeſtatis opprimetur a gloria*. 2. Pertinaciter negandum non eſt, quod revelavit, ac nobis notum eſſe voluit; quod faciunt hæretici. 3. Cognitæ veritates nequaquam detinendæ ſunt in captivitate, vitam ducendo a fide noſtra abnormem; quod mali Catholici faciunt.

VIII. Duo hominum genera fidem ſuam impugnant, ejuſque veri ſunt inimici.

1. Qui fidei ſuæ ſe arbitros faciunt id credentes, quod ſibi arridet, atque pro libidine, religionem ſibi concinnantes. 2. Qui putant ſatis eſſe habere fidem, ut ſalvi fiant, quin bona opera exerceant.

Fides, ut talis ſit, qualem in Fidele poſtulat Deus, duas præſertim habere debet conditiones. IX.

1. Eſſe debet humilis, ſubmiſſa, docilis, intellectum ſub jugo captivans, ut inquit S. Paulus.

2. Eſſe debet viva, & agens, & efficere, ut eę, quę creduntur, veritates exerceantur.

Non ſufficit habere fidem, niſi noſtris inſit conſiliis, actionibus, affectibus. X.

1. In conſiliis, conatibuſque omnibus adhibenda ſunt fidei lumina, ne quid fiat contra conſcientiam, vel ne quid ſalutem noſtram in diſcrimen adducat. 2. Ineſſe debet actionibus ut nobis vim, animumque inſpiret magna pro Deo faciendi, nihilque audendi Chriſtiano homine indignum. 3. Nobis ſolatium eſſe debet in calamitatibus noſtris, cum nobis perſuaſum eſſe debeat, breve tribulationum in hac vita momentum æternum nobis gloriæ pondus in cœlum collaturum.

De Sapientum, Fatuarumque Virginum parabola. XI.

1. Vera Chriſtiani virtus eſt lumina fidei ſectari; hoc faciunt veri Fideles, qui ſapientes vocari merentur. 2. Hæc ſtultitiarum omnium inſaniſſima eſt proprium ſequi ſenſum, ubi de fide agitur, & Religione.

Duplex afferri poteſt cauſa modicæ fidei, quæ hodie in mundo invenitur. XII.

Prima eſt, quia nimis excutiuntur veritates Religionis; volunt palam ea videre, quæ ſimpliciter, & cum fidei obſequio credenda ſunt; hinc oriuntur ambiguitates, hæreſes, infidelitates, æternæque de articulis jam conſtitutis diſputationes.

Altera eſt, quia non ſatis excutiuntur; videlicet quia eorum magnitudo non ſatis intelligitur, neque ad eam animus ſatis advertit; atque inde fit, ut ita vita inſtituatur, quaſi nulla fides eſſet, neque ullus percipiatur fructus, qui uberrimus inde poteſt hauriri. *Ex Auctore Sermonum in omnia Ethicæ Chriſtianæ Argumenta in Quadrageſima.*

Fidelis, qui a fide vitam ducit abnormen, oſtendit. XIII.

1. Sibi nullam eſſe fidem, eam videlicet, quæ ad ſalutem eſt neceſſaria.

2. Negat fidem, quam in Baptiſmo profeſſus eſt: *Verbis confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant*. (1. ad Tim. 1.)

3. Fidem ſuam crudelius perſequitur, quam Tyranni, & Hæretici. *Idem in Adventu.*

Contra malos fideles, quorum vita non eſt fidei eorum conformis. XIV.

1. Mala fidelium vita juſtam præbet anſam dubitandi utrum habeant fidem: 2. In dubium etiam vocat, utrum eorum fides ſit vera, cum facere non videntur illa, quæ credunt.

Tria a nobis vivam fidem exigunt; ſcilicet juſtitia, neceſſitas, & utilitas. XV.

1. Juſtitia. Juſta ſubmiſſio eſt, rationem ſubmittere auctoritati Dei loquentis, nobiſque revelantis veritatem, aut myſterium, quod mente aſſequi non valemus. 2. Neceſſaria ſubmiſſio eſt; nam ſine fide non poſſumus placere Deo, neque ſalvos fieri; 3. Utilis eſt, hac enim plurimum meremur; quandoquidem hoc maximum eſt ſacrificium, quod Deo poſſumus offerre, maximuſque honor, quo illum colere valeamus. *Ex P. Girouſt in Quadrageſima.*

1. Fides nos humiliat, ſed ut attollat. 2. Nos excæcat, ſed ut illuminet; docet enim eas veritates, quas infirmis rationis noſtrę luminibus numquam poſſemus cognoſcere. 3. Quamdam mortis ſpeciem infert, prohibens ne ſecundum naturę noſtrę impetum vivamus, ut vitam nobis largiatur nobiliorem, atque ſanctiorem. XVI.

1. Quamquam ſola fides ad nos ſalvandos non ſufficiat, ſed bona opera noſtra cum Jeſu Chriſti meritis conjuncta nobis jus ad Cœlorum regnum aperiant; tamen vera eſt hæc propoſitio, & quæ maxime catholicum ſenſum habere poteſt; videlicet nos per fidem ſalvari, & juſtificari. 2. Hæc eadem fides, quæ nos ſalvat, nos etiam condemnat, ac ſæpe noſtræ infelicitatis cauſa eſt. Duarum harum veritatum probatio oſtendat eas nequaquam ſecum pugnare, & pro ſermonis partitione poſſe deſumi. 1. Fides nos ſalvat, & juſtificat coram Deo. 2. Hæc eadem fides nos damnat. Fides principium ſalutis eſt pro animabus ſanctis; Fides cauſa damnationis eſt pro animabus obduratis. *P. Bourdalove.* XVII.

Tri-